HERCULES XENOPHONTIUS, AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, D...

Johann Weizer



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. CHRISTIANO DVCI SAXONIAE, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggrauio Magdeburgensi,

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. AVGVSTI, DVCIS SAXONIÆ, Sacri Romani Imperij Electoris, & Archimarschalli Filio.



VI damus Andino modulata poëmata plectro,
Quæ luctam referunt Amphitryoniadæ,
Cùm, residens patulæ lauri, dubitaret, in vmbra,
Fortis an hic heros, deses an esse velit?
Dux generose tibi, magnorum sanguine regum
Edite, Saxonicæ summa columna domus:
Magne puer, patri AVGVSTO MATRIq́ue serenæ
Vnica stirps sexu de meliore super.
Non ego quòd normam & leges præscribere, Vita
Qua ratione tibi sit peragenda, velim.
Id patris & patrui Virtus, Laus, Gloria, Fama,
Id genitrix, pater id matris, & alter auus,
Id faciet longo rerum prudentior vsu
VOGELIVS, Baldi cura decusq́ue sui.

Grande

Grande nec vt doctis (absit procul) artibus inter
Egregios poßim nomen habere viros.
Nam mihi si, nisi quæ de carmine venerit isto,
Gloria nulla foret, gloria nulla foret.
Tu sed ad Herculeos cùm iam propè veneris annos,
Certaq́ virtutis des documenta tuæ:
Carmine, (sed tectè, neq́ forsitan illud ineptè)
Dux volui studium Magne probare tuum.
Suscipe sic igitur: largi licet indiga cultus,
Sunt tamen ætati non aliena tuæ.
(Vilia sunt fateor: sed & alti rector Olympi
Pauperis agricolæ vilia dona probat.)
Meq́ tuum, supplex rogito, tueare clientem,
Quem vocat à studijs sors inimica bonis.
Nec versus patitur dulces componere, dulcè
Quæso, suum caneret Sisyphus inter opus?
Da mihi Virgilium, & tantos iniunge labores,
Amittet vires protinus ille suas.
Adde quòd Inuidiæ nigris petor vndiq́ telis,
Barbarus ingenijs liuor obesse solet.
Auxiliare meis igitur DVX inclyte Musis,
Certè patrono deficiente cadent.
Non ego diuitias, non fulua talenta requiro,
Non etiam culti iugera lata soli.
Æs satis est modicum, paruos celebrare penates
Est satis, & modico pane leuare famem.


Quàm iuuat horriferos Euros audire, librosq;
Argutos tremula euoluisse manu:
Aut celebres virtute viros audire docentes,
Cùm gelidas præceps fuderit Auster aquas:
Flumineaq; sacrum meditari carmen in vmbra,
Albidos ad vitreas prætereuntis aquas:
Hoc volo: sit diues, pluuias quicunq; molestas
Ferre potest, rigidas Oceaniq; minas.
Hoc potes, atq; dabis, nam te natura potentem
Finxit, & ingenijs Ingeniose faues.
Alcides habuit communia templa Camœnis:
Vt iuuet Aonidas cura sit vna Duci.

T. C.

Humiliter deditus.

Ioannes VVeizerus Dresdensis.

HERCVLES XENOPHONTIVS.



Er erat, & virides turgebant cortice gemmæ;
Surgebant nitidæ fruges, ramiq; virebant
Arboribus, læta alitibus virgulta canebant,
Terraq; fundebat viridantes dædala flores,
In campis pueri teneri innuptæq; puellæ
Mulcebant liquidis puras concentibus auras.
Tunc satus Alcmena, cui iusta adoleuerat ætas,
(Prima genas molli vestibat flore iuuentus,
Iamq; puer poterat, poterat iuuenisq; videri,
Et poterat laudes Heroum, & facta parentum
Iam legere, & quid sit per se cognoscere virtus:)
Ibat in antiquam syluam, ducebat in vrbem
Quà via nulla homines, viridiq; sedebat in herba,
Inter Apollineæ frondes lauri, vndè supernè
Vertice cliuosi lenissima tramitis vnda
Defluit, atq; cadens suauem per rauca susurrum
Saxa ciet, lauro cinctum est latus omne virente,
Et multum dubio voluebat pectore secum
Euentus vitæ varios, variosq; labores,
Num virtute sibi eximia memorabile nomen
Quærat, & exornet factis præstantibus orbem,
Frigora nec Cauri metuat, rapidosq; calores
Solis, & haud vnquàm sudori parcat anhelo,
Amphitryoniaden ne fama obscura recondat,
Sera sed vt possit volitare per ora virorum,
Atq; vehi multa quondam super æthera laude:
An velit hîc inter luxus, atq; ocia pigra,
Deliciasq; orbis suauem deducere vitam.

Ac veluti ventis discordibus acta carina,
Impete iam subito septem subiecta Trioni
Regna petit, radijs iam subdita cernit Eois,
Iam subit Hesperiam, pluuium iam currit ad Austrum,
Quò ruat, incertum est, nec quid fugiat'ue, petat'ue,
Rector habet: quid agat sic hic non inuenit, atq;
Alternante anima nunc huc nunc fluctuat illuc.
Interea media puero sese obuia sylua
Ecce puellarum duo corpora pulchra tulère,
Maiora humana specie, quæ dicere possis
Iurè Deas, aut Nympharum Phœbiue sorores.
Alterius simplex habitus, non vertice odorem
Spirabat Myrrha, nam frons cinctoria habebat
Gemmea, non digitos Adamas, non guttura torques,
Non armilla manus, non serica flammea frontem
Ornabant, laqueos non vesti intexerat alba,
Non latus hinc atq; hinc meretricùm more mouebat.
Ex ipso apparet diuina Modestia gressu.
Fastus erat procul, in terram sua lumina prona
Figebat, Pudor & Pietas è fronte micabant,
Et placidi (Nympha decora ô insignia) mores.
Vtq; rubet Veneris si flos natet albus Iaccho
Purpureo, tales dabat ore puella colores.
Altera sed, iuueni vt posset formosa videri,
Culta aderat nimium, tota ostro auroq; rigebat.
Aurea vestis erat, quam circum limbus obibat
Aureus, hanc illi malesuada Superbia quondam
Fecerat, atq; plicas rutilo discreuerat auro
Latius vt seq; in partes extenderet omnes,
Scirpiculum insuerat tunicæ, laqueosq; rotundos,
Aures bacca leuis, gemmata monilia pingue
Pectus, ceruicemq; albam, collumq; coronant

Arte

Arte latus torquet, partes tergiq; remotas
Hinc atq; hinc vibrat, scopis post terga ligatis
Latam emundaret, scopis res digna, plateam.
Lunula, baccatumq; auro, gemmisq; monile
Ornabant caput, & nigra bysso flammea crines
(Turpe) peregrinos rutilanti innexerat auro.
Cingebat digitos Adamas, viridisq; Smaragdus,
Armillaq; manus: at mamillare tegebat
Pectus inauratum, & turgens puluinulus, aptè
Cingebat strophium hæc tenui de vellere textum,
Vellere quod molli depectant stapite seres,
Distentæ speciem ferrent vtrinq; papillæ
Montis, verticibus qui surgit ad astra duobus.
Serica stringebat spaciosum Zonula ventrem,
Aurea cui spina, & bullarum argenteus ordo.
Sandalijs lenta incedit, ceruice reflexa
Nunc huc, nunc illuc, & retrò spectat & antè,
Non secus ac summas numeraret in arbore frondes,
Vndiq; vel dederat tellus quot Dædala flores.
Nunc etiam tremulam miratur corporis vmbram,
Et gradibus fauet ipsa suis, motuq; procaci:
Ex ipso apparet ventosa Superbia gressu.
Aspicit hinc illinc, num syluas inter & herbas
Miretur quisquam gradientem, num quis euntis
Incessum obseruet bellum, moresq; venustos,
Fucatasq; genas, capitisq; comæq; decorem,
Et vestes fluidas, & mamillare iugosum.
Hæc puero prior accelerans, ita fariter infit.
O formose puer, quid in his tibi saltibus optas?
Quis furor hîc, dilecte puer, consumere curis
Vitam? quid dubiam vexat sententia mentem,
Quo tibi sit potiùs currendum tramite? quis nam

Recta

Recta tibi tradet, quæso, documenta sub ista
Arbore? num frondes, an flumina muta, vel herbæ?
Surge age, me sequere, & facili te tramite sistam:
Me duce non duros vnquàm experiêre labores,
Non res suauis erit, qua non potiêre rogabis
Quod modò cunq; feres, dabo melleæ viuere secla,
Efficiam possis dignam Dijs degere vitam.
Non tibi delicias suaues, non dulcia amoris
Gaudia turbabit luctus, non buccina somnos
Abrumpet trepidos, non tela facesq; timebis,
AEstusq;, pluuiasq;, & agentes frigora ventos.
Bella gerant alij, gerere est quis bella voluptas,
Et quos insanire iuuat, membrisq; nouerca
Sunt iniusta suis, tibi luxus inter amœnos
Deliciasq;, breuis decurrit temporis ætas.
Sit tibi picta auro, & fulgenti murice vestis:
Regali accumbas mensa, conuiuia luxu
Regifico medijs sub tectis lauta parentur,
Det manibus cristallus aquas, stet Bacchus in auro:
Indulge genio, crateras verte capaces,
Turba, tui similis, lateri sit turba sodalis,
Quæ tibi sollicitas auertat pectore curas,
Atq; hilaris tecum conuiuia mutua curet.
Adsit & argutas docto quæ pollice chordas
Tangat, & associet vocalia carmina neruis,
Et salibus breuiet iucundis tempora Virgo.
At non ætherios tractus, non sydera cœli
Fulgida, non pluuijs Hyadum cur ortus abundet,
Cynthia cur radijs Phœbi perculsa nitescat,
Cur noctes cessent hyberno tempore longæ:
Non quoq; defectus Lunæ, solisq; latebras,
Delia cur terræ tenebrosas currat in vmbras,

Quid

Quid tegat obscurum picea ferrugine solem,
Personet, Idalij sed grata Cupidinis arma,
Arcumq́; pharetramq́; & non immitia bella.
Summus vt ille Deûm croceo nitidissimus imbre
Fluxerit in gremium Danäes: & quomodo pennis
Tectus olorinis Ledam deceperit ales:
Europam vt specie tauri delúserit albi:
Vt sint Lemniacis Mars & Cytherea cathenis
Elusi,& facti spacioso fabula cœlo
Illa canat,plaudant socij,cantusq́; sequantur,
Grandiaq́; ad numeros læti Carchesia ducant,
Ad coruos abeat voces qui protulit illas:
Dum sitis vrit adhuc gratum depone Falernum.
Hic mihi natura malè consuluisse videtur.
Vos cùm inuectus equis altum petit æthera,vos cùm
Occiduum Hesperio tingit iubar æquore Phœbus
Potantes videat,pudor hic succumbere quenquam.
Ventriculi parui,cùpidis qui pocula buccis
Sena quater nèscit super vnum ducere cœnam,
O simplex nimium, & priuandus lumine vitæ,
Esse suum Dominum qui vinum scripserit, aut qui
Clam se subducens socios relinquit ouantes.
Hoc virtutis opus potando cedere nulli,
Euacuare cados quotquot tibi quisq́; propinat.
Ergo age care puer vis fortis & acer haberi?
Visne tibi Bacchus faueat,bibuliq́; sodales
Laude per astra ferant? potando decipe nullum:
Exhauri cyathos, exhaustos proijce in altum,
Et famulum increpitans infundere vina iubeto.
Nec tacitus sedeas,tremulo concussa cachynnet
Tota domus risu,longæ reboentq́; plateæ,
Iubilaq́; & cantus animi certissima læti

Argumenta sonent, pulchras nec abesse puellas
Iustum erit, amplexus illis & dulcia libes
Oscula, nec veneres lepidas, blandasq; choreas
Despice, sed socios atq; inter pocula lætus
Scamna per & mensas atq; ipsa per atria salta,
Tympanaq; & bifori curæ sit tibia cantu.
Et iucundus odor Myrrhæ, viridesq; coronæ,
Vestis acu picta, & cum pectine spongia eburno.
Annulus articulos stringat, gemmæq; micantes,
Eooq; manius rubra lecta corallia Ponto.
Sic lepidis fies discordia magna puellis.
Cui non mundicies placeat? quæ dixerit illam
Esse odio dignam, cum porcis exigat annos.
Nescit & illa mihi, hæc pulcherrima fabrica rerum
Vndè habeat nomen, quam mundum nominitamus.
Ne tibi sit speculum tecum gestare politum,
Et crebrò inspexisse pudor: pudor vtilis ille
Nequaquam esse potest: aciem speculum omne retusam
Luminis exacuit, lapsosq; instaurat ocellos.
Sola nec hæc, maiora tibi sed commoda præstat
Intuitus speculi: nam si te videris esse
Formosum, velut es, formam nulli esse perennem,
Nec tibi perpetuos vitam producere in annos
Esse datum, & lethi te iura manere monebit.
Ergo dùm superas iucundè corpora cura,
Siue latet, nitida seu sol face lustrat Olympum,
Ac roseus fessos cum gurgite tingit Ibero
Phœbus equos, lucem& subiecto detrahit orbi,
Tunc ædes demum resonent clamore, nec antè
Quam ferat auroram Matuta per ætheris oras,
Primus equis oriens potantesq; afflet anhelis,
Ebria languidulum carpat per membra soporem.

Nec

Nec tibi, cùm mollis deuinxit membra sopore
Somnus, & optatam corpus trahit omne quietem,
Excrucient pectus curæ, vigilesq́ dolores,
Atq́ metus turpis, multorum causa malorum.
Vah valeat, prodesse homini qui dicit obeso,
Esse animo interdùm mæsto, & trepidare timore,
Voluereq́ anxiferos curarum in pectore fluctus:
Auius à veri quàm longè calle vagatur?
Frigida sollicitæ comes est formidinis aura,
Et corpus pallere facit, gelidumq́ tremorem
Inducit membris, miserè qui concutit artus.
Infringit linguam, & vocem, viresq́ resoluit.
Concidere ex gelido multos quoq́ sæpè timore
Vidimus, & citò vitalem deperdere sensum.
Ergo procul remoue luctus, curasq́ molestas,
Ac tibi ne vacuum suspiria mæsta cubile
Et gemitus moueat tristes, virgo accubet vnà.
(Sed non quam thalami socient tibi vincla iugalis,
Semper enim nectit lites & iurgia coniunx.)
Quæ ferat amplexus atq́ oscula dulcia figat.
Te nec ego lassum iubeo turbare quietem,
Si nondum auricomi radiantia lumina Solis
Exeruêre iubar, vel vbi vix aureus ortus
Cynthius extulerit, satius si strata relinquis,
Cum medium cœli Phäëton conscenderit orbem
Igneus, in mensam coniectaq́ quadra sonabit:
Mollibus è lectis tunc te citò proripe, ventis
Ocior, atq́ hesterna iterum conuiuia quære.
Quid trepidas, formose puer, quid corde reuoluis?
Nam metuis tibi ne minuat penuria census?
Aut tibi ne noceat paupertas dura? sed istos
Excute corde metus, res vanum habet ista timorem.

Conquisita diu magnoq; reperta labore
Alterius, veluti proprio sudore parata
Sint tibi, consumes, facies quodcunq; placebit.
Nec te ius rigidum, aut leges cohibere valebunt.
Lex & ius valeat: ferus est iura arcta Tyrannus,
Carcer & iniustus: Leges insana rogauit
Cura hominum, quicquid natura benigna remittit
Lex prohibet: Nihil est natura præside turpe,
Stulta operum certos distinxit opinio fines.
O fatui, decreta timent quicunq; maligna
Quod natura iubet, quod suadet, iusq; piumq; est,
Non dilecte puer, modo si mandata capesses
Nostra vbi obstabunt leges, aut inuida iura,
Non deerunt sumptus tibi, non occasio, sensu
Tu modò quæ dixi (res ô iucunda) reponas.
Vtere dum licitum est æui florentibus annis,
Lude, vora, Venerem, madidum sectare Lyæum.
Virtuti studuisse, modum seruare, pudicè
Viuere, verba sono mihi sunt inimica vel ipso.
O stolidus nimiùm, & sensus deperditus omnes,
Qui, dùm fata anniq; sinunt, non tractat amores,
Quiq; leuem, primo dum vernat flore iuuenta,
Virtutem affectans, & gloriam honoris inanem,
In curis virides consumit inanibus annos.
Attenuat vigilans vehementer corpora cura,
Et placidos prohibet per noctem ducere somnos,
Exhaurit vires, febresq; accendit anhelas.
Quid? quòd morborum producat mille figuras?
Quod sensum impediat, mentemq; obnubilet altam?
Ingenij claras quòd cogat hebescere vires?
Adde quòd hæc multis vitai vincla resoluit,
Et iubet ante diem, tristes migrare sub vmbras,

Deliciasq;

Deliciasq́ iocosq́ & gaudia linquere mundi.
Felix qui lætus deducit tempora vitæ.
Excitat innatos hominum mens læta calores,
Spirituum tenues purgatq́ & temperat auras,
Hæc dat homo vt longum iuuenilibus integer annis
Floreat, & serò crudelibus occubet vmbris.
Ingenij vires acuit, sensusq́ serenat,
Muniaq́ ad quæuis hominem magis efficit aptum.
Felix, qui Bromium nouit, veneremq́ iocosam.
Illum non rigidi Martis furor anxius, illum
Non fragor armorum terret, non Martia somnos
Classica pulsa fugant, metuit nec tela, nec hostes,
Tartara nec ficta, ementitaq́ flumina Ditis.
Styx, Acheron, Lethe, Phlegethon, Cocytus, Auernus,
Cerberus, Eumenides, Hecate, Proserpina, Minos,
Pluto, Charon, durus Radamanthus, & Aeacus asper,
Nomina sunt, tantùm stolidas terrentia gentes,
Hæc neq́ sunt vsquam, sed sunt deliria vatum,
Vna quibus cura est, homines his fallere technis.
Crede mihi, quæcunq́ illi nugantur Auerno
De vasto, Stygiæ nigrisq́ paludibus aulæ,
Hæc sunt in vita, miseris mortalibus omnia.
Nec, velut est fama, AEolides Acheronte profundo
Saxum ingens sudans voluit, neq́ proficit hilum.
Quin magis in vita duros perferre labores,
Et tamen incassum, nec præmia ferre petita,
(Gloria non vlli neq́ fama labore paratur.)
Hoc est aduerso monte ingens trudere saxum,
Quod tamen attigerit, si summa cacumina rursum
Voluatur, planosq́ petat rapido impete campos.
Nec Tityo blanda per regna carentia luce
Immortale iecur rostro exest vultur obunco

Sed quem continuæ, ætheria dum vescitur aura,
Et gelido nondum sua tradidit ossa sepulchro,
Curæ dilaniant, atq; anxius exedit angor,
Huic epulis auidus rimatur viscera vultur.
Quòd magno ingenium & virtus coniuncta periclo est,
Et fœdè intereant quos doctrina euehit ardens,
Debita Salmonei poterit te pœna docere,
Ars sua quem dedit exitiò, ingeniumq; peritum,
Quis sibi diuorum demens poscebat honorem,
Alta viris etenim est innata superbia doctis,
Ingenijsq; suis famulari ipsa æthera iactant.
Inachidas porrò tristes Acherontis ad vndas
Quòd memorant laticem pertuso infundere vasi,
Quod tamen haud possit ratione explerier vlla,
Egregiè monstrat, quàm sit labor omnis inanis.
Nam quicunq; vrget sua membra laboribus, omnem
Conatum rapidos in ventos fundit; & vndam
Inachidum exemplo rimosum congerit in vas.
Quid multa? anxiferæ curæ, sæuiq; labores,
Sunt diræ Eumenides, & Tartara gaudij egena,
Et domus absq; die, & saxi reuolubile pondus.
Suauiter at blandæ consumere tempora vitæ,
Semotis animi curis, turpiq; labore,
Inter & amplexus, & basia læta puellæ
Ingentes calices, & pocula ducere plena,
Hoc est elysias valles, & odora vireta
Fortunatorum nemorum, sedesq; nitentes
Incolere, Ambrosiaq; & dulci nectare pasci.
Felix ò felix igitur, qui nostra secutus
Iussa, magis Phœbi Cortyna iura, relegat
Luctificas curas procul, anxiferosq; dolores,
Et, nisi quod suaue est, supera dum viuit in ora,

Nil

Nil agit, inq; diem viuit, neq; crastina curat.
Ah pereat, pereat, nimium cui crastina cura.
Falle diem, misera medio nam limite vitæ
Mors truculenta venit, soluens risusq; iocosq;
Nec, cùm decurso fatalis lumine vitæ
In tenues fugientem animam exhalaueris auras,
Frigidaq; æternum contexerit ossa sepulchrum,
Vlterius sensus mulcebit opima Voluptas.
Sic virgo: Alcmenæ contra sic filius orsus:
Dic quàm te esse feram tandem pulcherrima virgo.
Non tibi vultus enim est hominis, neq; gressus, & ipsa
Vox nihil humani sonuit: quo sanguine creta es?
Nomina quæq; tibi læti tribuère parentes?
Ignotam nemo iuuenum prægestit amare.
Risit, & Herculeos onerans ceruice lacertos:
Aureola, collumq; notans liuore genasq;,
Basiola inseruit lasciua sine ordine raptim,
Atq; venenato contra sic ore locuta est.
Omne bonum Inuidiæ stimulis agitatur iniquis,
Infamatq; bonas hominum mala lingua puellas:
Nec mihi idem fieret? SOCORDIA nominor hosti;
Cum tamen haud faciam socordes, scilicet illi
Qui mea castra ineunt, vigiles alacresq; videntur.
PROSPERITAS dicor socijs, & blanda VOLVPTAS.
Me cupidi obseruant superi, numeroq; Dearũ
Dignantur, nec me mortalia pectora spernunt,
Me grauium veneranda senum, iuuenumq; corona,
Me pueri teneri, matres, hilaresq; puellæ
Vnanimes æquo ore canunt, laudantq; petuntq;
Sum Dea, quæ Phœbum Macareidos igne flagrantem
Admeti niueas iussi pauisse iuuencas,
Sum Dea, quæ summum cœli terraq; parentem

Nunc

Nunc aquilę pennas, nunc sumere bina coëgi
Cornua, nunc verti in cultum faciemq́; Dianę.
Hac vice sermonum veniebat & altera, nomen
Aurea cui VIRTVS dederat, iungensq́; serena
Cum grauitate decus, pueroq́; propinquius astans
Sydereos deiecta oculos ita voce profatur.
O clare Alcide, genus alto à sanguine regum,
Digne puer cœlo, sed humo quoq; digne morari,
O puer insigni decorans virtute parentes,
Et cœli magnum quondam ornature Senatum,
Stemmata clara tui generis mihi nota, nec altum
Me latet ingenium, & puero digni Hercule mores:
Nec dubito mea si vestigia ritè sequeris,
Quin olim poteris volitare per ora virorum,
Atq; tibi nomen famamq́; parare perennem,
Res magnas gerere, & meritam portare coronam,
Atq; vehi tandem digna super æthera laude.
Hinc mihi maior honos ibit, solidaq́; locabor
Sede iterum, & clarum per secula nomen habebo.
Sed quid ego hæc autem? Non huc te carmine multo,
Atq; per ambages, aut longa exorsa morabor.
Multa loquens quoniam mendacia plurima dicit.
Nec tibi verba dabo: neq; enim quia cingor amictu
Vili, nec gemmis vestes ostroq́; superbo
Sunt intertexa, nec spiro vertice Myrrham,
Nec digitos Adamas ornat, nec colla Smaragdus,
Falsa tibi dicam, mendaciaq́; improba spargam.
Sæpe sub exigua latitat sapientia palla.
Quare agedum nostra quæ sit sententia mentis
Expediam, & paucis: dictis te præbe benignum.
Non homines alto voluit torpere veterno,
Nec facilem in terris diuûm pater atq; hominum Rex
Iupiter

Iupiter esse viam voluit, labor omnibus acris
Est impendendus, vendit bona cuncta labore
Solerte, & curis acuit mortalia corda
Mentior, è superûm fulgenti sede trisulco
Iupiter infernas adigat me fulmine ad vmbras.
Certa viros nunquam comitatur gloria pigros.
Si tibi propicium cupis ætheris esse parentem,
Disce timere Deum, illiusq; facessere iussa,
Et vitula facias, & templum thure vapores
Sæpius, accumulesq; oneratis lancibus aras.
Si tibi terrestrum vis conciliare fauorem
Efficere hoc decet officijs, meritisq; benignis.
Sin te vis celebri ciues venerentur honore,
Et tibi præclaras decernat Achaia laudes,
Syderaq; ingentem te omnes super aurea Graij
Extollant, & vera tibi præconia cantent,
Pro Danais belli caput obiectare periclis,
Ac patriam virtute tua defendere terram
Fas erit, & nullum subterfugisse laborem.
Vis ne tibi molli campis flauescat arista,
Frumenta in viridi vt stipula lactentia cernas,
Nec fruges inter spinis paliurus acutis
Surgat, & infelix lolium, lappæq; tenaces,
Aut segnis sterili nè carduus horreat agro
Vnde tibi metuenda fames, & turpis egestas?
Non valido pudeat ferro molirier arua,
Vertereq; impulso fœcundas vomere glebas.
Sunt tua vota, errent patrijs vt montibus agnæ
Innumeræ, multæq; boues, multæq; capellæ
Ne tibi lac æstu, medio neq; frigore desit,
Pasce boues, tenerasq; agnas, simasq; capellas.
Sic qui vult solida ingenij clarescere laude

Curia vt hunc poscat regum, sit cura ducumq́,
Dulcibus insudat studijs, seu Cynthius orbem
Illustrat radijs, seu nox terra incubat atra.
Non decet ignauum per totam stertere noctem,
Nobilis Aoniæ petitur cui fama corona.
Eximiam quæris laudem tibi Marte parare?
Militiæ puer assuescas tolerare magistrum,
Illius & primis facta admireris ab annis.
Post vbi robustus adoleuerit viribus ætas,
Aggredere insignes, veræ virtutis, honores.
Multa patris virtus animo, multumq́ recurset
Nomen aui, moueat pulchræ te forma iuuentæ,
Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.
In medias acies campo tete arduus infer,
Sterne viam clara medios virtute per hostes,
Quà via non vlla est: poteris, quia posse videris,
In cunis geminos infans cum presseris angues.
Sis fortis, vitæ nec sit tibi parcere cura,
Dummodò libertas patriæ seruetur, & hostem
Magnifico princeps currus agat ante triumpho.
Olli subridens nasuta Ignauia verbis
Sic interpellat: Sentis, pulcherrime rerum,
Quam tibi difficilem saxis spinisq́ refertam
Ista viam monstret mulier, quæ ducat ad astra?
Ah subeunda forent tibi quanta pericula, duræ
Saxea virtutis iuga, si conscendere velles?
Ah quoties niueum turparent frigora corpus?
Ah teneras quoties plantas malè spina secaret?
Nam sua vbi posuit malesuada cubilia VIRTVS,
Vndiq́ vulnifica spinæ, vepresq́ resurgunt.
Cura dolorq́ vigil, mæror, labor anxius, angor,
Prærupti seruant saxosa cacumina montis,

Vt paucis colles detur superare iugosas,
Scrupea virtutisq́; ascendere tecta malignæ,
Et licet ascendant loca fæta labore furente,
Virtutemq́; ipsam manibus contingere poßint,
In caput, inq́; humeros tamen hos deturbat ab alto
Vertice præcipites, vt fracto gutture amaram
Magno indignantes ponant cum murmure vitam,
Et nequeant fructus exhausti ferre laboris.
Magnæ molis erit virtute extendere famam.
Me potius sequere; est leuis mea semita, nullis
Euincenda malis, facilis descensus ad aulam
Est nostram, nullæ sentes remorantur euntem.
Vestibulum ante ipsum posuit tentoria Bacchus,
Et læta Ebrietas, luxusq́; & gaudia longa:
Hic iuuenum series ludit, potatq́; voratq́;
In foribus stabulat summo Ioue nata Dione,
Quam circum volitant ioca læta, & gratia triplex,
Tum comti iuuenes, non incomptæq́; puellæ
Ad Citharæ ducunt resonantia fila choreas.
His sese immiscet, pharetra succinctus & arcu,
Blandus amor, requies cæli terræq́; voluptas,
Aurea qui fulua depromens tela pheretra,
Dum petulante gradu partes excurrit in omnes,
Vulnerat & molli iuuenes accendit amore,
Et teneras blando succendit amore puellas.
Hic alius læto sermone moratur amicam,
Seria nequitijs dum miscet multa iocosis,
Quæ teneros poßint dominæ mouisse cachynnos:
Virginis hic stringit candentia colla lacertis,
Iungit & os ori, atq; occulto saucius igne
Ingemit, & dominæ limis arridet ocellis.
Hic Cyathi, geminos hic alea iungit amantes.

Ast vbi iam nostræ ventum penetralia sedis
In media, aspiciar solio sublimis in aureo,
Quam circum Myrthi Pax fronde reuincta capillos,
Tuta quiesq; animi, & nitidis Concordia pennis,
Blanditiæq; leues, lusus, dulcesq; cachynni,
Iubila, nequitiæ, oculisq; loquacibus, vda
Basia inauratam ducunt per gramina Pompam,
Quæ pede concubitus auido amplexusq; sequuntur.
Hic plenis demum pandunt se gaudia velis.
Huc igitur propera celeri puer optime passu,
Præuia te ducam, ne tramite forsan aberres
Tu modò non dubijs ducentem passibus æqua.
Talia iactantem non pertulit inclyta virtus,
Iraq; acta graui, contra sic ora resoluit:
O genus inuisum superis, quid pessima narras
Bestia? deliciæ quæ sunt tibi? quid tibi tandem
Vana boni? qui sic fallax mendacia fingis?
Ingeris antè auido potumq; ciboq; palato,
Quam sitis aut iucunda fames tibi torqueat ora:
Arte facis, sapiant vt non malè fercula, vinum
Arte facis, sapiat non vt malè: tempore brumæ
Vndiq; comportas glaciem, cellaq; recondis
Vt, Canis ardentes cùm Syrius vrat aristas,
Frigida vina sitim tibi ledant, vtq; calore
Languida Phœbæo glacie recreare niuali
Membra queas: suauem vt capias secura quietem,
Picturis intextilibus iactaris & Ostro:
Corpora das lecto, non vt defessa labore
Assiduò recrees, sed vt ocia segnia fallas.
Iura nihil metuis, nil curas vincula legum:
Spurca Venus turpem tibi versat in ossibus ignem,
Nec, nisi furtiuum, quenquam meditaris amorem

Iniectasq;

Incestasq; faces inconcessosq; Hymenæos.
Tu cùm præcipitat cœlo nox humida, tu cùm
Somnus habet terras animalia fessa per omnes,
Euacuas demum Cyathos, & pocula siccas:
Atq; alij placidum ne poßint ducere somnum
Noctè boas, latæ resonant plateæ vlulatu.
Egregiam verò laudem & memorabile factum.
In seros iuuenis vitam produceret annos,
Munere si Bromij sciret moderantiùs vti.
Ebrietas damnum, quo vix crudelius vllum.
Nominis vt taceam, quàm fœdè obfuscet honorem,
Immodici quantùm vehemens violentia Bacchi
Corporibusq; animisq; nocet? præstantis acumen
Obruit ingenij, Lethæa obliuia rerum
Mentibus inducit, sensus disturbat & aufert.
Exprimit hæc, vuas vehit humida præla recentes,
Ipsa iuuentutis succos, habilemq; vigorem
Corporis eneruat, grauitateq; membra fatigat.
Hæc iuuenile perit, formæ decus omne nitentis:
Vidistin' iuuenes æuo florente Charontem
Terribili squalore tetrumq; referre cadauer?
Scilicet has exhausta ferunt Carchesia messes.
Indè tot infestant corpus nocumenta, tot inde
Lethiferi affligunt stomachumq; caputq; dolores:
Hinc venit ille tremor manuum stringensq; chiragra
Articulos, hinc ora modis pallentia miris.
Quid? quod diluuium veluti liquefacta Pyrene
Mitteret, huberibus flent rubra hinc lumina guttis.
Hæc frontem informem rugis arat, impete vasto
Proruit hinc scabies, & corporis hulcera fœda:

Quid loquar, vt nimio perfusum tempora vino
Eumenidum, Lemurumq; cohors, atq; horrida spectra
Horrifico exturbent languentes nocte sopore?
Hinc sæuam manè exhalant olida ora Mephitim.
Ante diem multos hæc funere mergit acerbo.
Vidi ego qui valido titubantia membra Lyæo
Nocte toro posuit, somnumq; petiuit amicum
Claudere in æternum morientia lumina somnum,
Et nece consumtum in thalamo manè esse repertum.
Hæc etiam: sed enim numero comprendere non est
Quot ferat hæc pestis mala, damna, pericla, labores.
Stelligeri citius rutilantia sydera cœli,
Et maris Ionij flauas numerabis harenas
Omnia quàm poteris percurrere damna Lyæi
Immodici: non, si linguæ sint, oraq; mille,
Et vox quæ Chalybe & ferro sit durior ipso.
Tu tamen hanc socijq; tui ceu numen adorant,
Nec pudor est totam potu consumere noctem,
Aurora in roseis cum fulget lutea bigis,
Stulta petis lectos, & quod natura labori
Attribuit tempus, quod amat Pataneus Apollo
Aoniusq; chorus, somno tu deside perdis.
Non hominem cui sunt cœlestia semina mentis
Insita diuinæ, sed porcos vita lutosos
Ista decet, quibus est lumen rationis ademtum.
Es Dea: sed dudum tua facta proterua perosus
Iupiter, æthereis eiecit sedibus, & te
Luctantem, & contra Phlegetonta, ignesq; micantes
Fractas obliquantem oculos, & dira rudentem
Sulphure fumantes Cocyti trusit ad vndas.
Te chorus Eumenidum, te Cerberus odit, & Orci
Nauita, nec stygia te vult vectare carina.

Te

Te quoq́,qui terras habitant,odère modesti.
Nec tu grata seni,nec castæ grata puellæ.
Te nurus,& mater,iuuenis te deuouet omnis.
Nemo tuas laudes celebrauit carmine,nunquàm
Cantantes excelsa vehunt ad Sydera vates
Virtutem,nomenq́ tuum,famamq́ secundam.
Carmine Calliope nunquam decantat inertem.
Nunquid visa fuit celebris tibi Pompa triumphi?
Ecquandò populis scripsisti iura subactis?
Ecquis credentes mendaci præbeat aures?
Pauperies olim si te premet indiga,nunquis
Porriget æra tibi? nunquis te pascet egentem?
Quis comes esse tibi sapiens optaret? in omni
Consumis vitam luxu vernantibus annis,
Hinc varijs sequitur morbis onerata senectus.
Me cupidi obseruant superi,me seruat Olympus,
Me quoq́ mortales (modò si trahat ardor honesti)
Laudant: me sine nil iustumue bonumue paratur,
Et sine me neq́ fit lætum neq́ amabile quidquam.
Sola iuuo artifices,sum custos fida domorum:
Auxilium præsto seruis: Iucunda laborum,
Horrida cùm positis mitescunt secula signis
Sum comes: armisonas nec Martis vito procellas,
Proq́ focis,arisq́ Deum si prælia fiunt.
Mitis amicitiæ per me concordia durat
Dulcior est socijs nostris Bacchusq́, Ceresq́.
Non condimentis vllis,non arte paranda
Nempè fames illis,expectant commoda semper
Tempòra, nec stomachum dapibus replentuè grauatim
Immodicis, capiunt quantum naturæ requirit:

Quam quibus est luxu pars optima Solis abacta
Nec lectos renuunt tepidos, & mollia strata
Linquere, si vitæ ratio sic flagitat, & si
Munia quis præsunt, re sic cogente, requirunt,
Gesta senes iuuenum exhilarant præclustria, gaudent
Laudibus eximijs grandes ætate iuuencæ
Efferri, non vnquam exacti temporis illos
Pœnitet, aut duros vitæ tolerasse labores.
Hos orcus timet, his fauet orbis, & altus Olympus
Quin etiam cùm iam soluantur frigore membra,
Atq; in perpetuam claudantur lumina noctem,
Parte tamen meliore sui post fata supersunt.
Stat sua cuiq; Dies, omnes morientur, & illi
Qui peperère sibi nomen virtutibus, & qui
Delituère domi: hos sed cum mors sustulit, idem
Terminus est famæ, fuerat qui terminus æui,
Viuit cui vitam Virtus & facta dedère
Splendida, nulla dies memoriq; hunc eximit æuo.
Et tibi fiet idem magnorum magna parentum
Gloria magne puer, mea si mandata capesses:
Ingrediere solo, & caput inter nubila condes.
Diuorum accipies vitam, te Iupiter olim
Quadrijugo curru cælestibus inferet astris.
Vtq; Ioui Martiq;, tibi sic vota quotannis
Argolici facient, precibusq; vocabere multis.
Desinit, & teneris hinc atq; hinc blanda lacertis
Amplexu puerum molli fouet: Annuit ille.
Læta leuem victrix niueis, secat æthera pennis:
Altera sulphureum fugit indignata sub Orcum.

FINIS.

IN ZOILVM SAPI-
ENTVLVM.

OMnia VVEIZERI te carpere, Zoile, facta,
Illius & Musas rodere, rumor ait.
Se benè habet: semper petit improbus ardua liuor,
Vt rapidus perflat robora summa Notus.
At tu quicunq; es, quæ de Magno Hercule scripsit
Perlege: quod poßis carpere nunquid habes?
Materiam hanc, dicis, tractârunt sæpius antè
Eloquio celebres ingenioq; viri.
Esto: Sed hic numeros alios & verba reponit,
Multaq;, quorum alij non meminêre, leges:
E gestis opus, exclamas, hoc nascitur: Erras,
Et mores notos non satis huius habes:
Deq; parùm notis nemo benè dixerit: huius
Luxuriam secli pingere cura fuit.
Heus tamen, vt culpes mala, cur bona negligis? & non
Quæ Virtus referat dicta, scelesté, vides?
Rumpere, VVEIZERum nihil ista calumnia terret,
Vicit, & ecce tuo nomine maius habet.
Peßima quæq; facis, nil scribis, & omnia carpis:
Qui sis, vt dicam, Mome superbe, cupis?
Paruus es, & niger es: Vis magnus & albus haberi:
Ater & æterno tempore paruus eris.